

xtum et septimum ordinem è paleæ recenti adhuc veluti lectus interstruit, tribus digitis crassus. Lateres singuli pedem regium habent in quadro, 6 digitis crassi; cæmentum quo inter se coherent, digito circiter crassum est; mixtura est autem è terrâ et bitumine, quali hodiè usque pro cæmento ejus loci incolæ utuntur; scætat enim perenni fonte in lacu proximo bitumen. Númerasse se dicit auctor 50 ordines 6 laterum, quibus alii 7 succederent, ut proinde totius molis altitudo ad 158 regios pedes assurgeret. Patet in cæcamine amplior quædam fenestra; in basi verò antrum est, continendis leonibus aptum; et circa medium hiatus interiora penetrans ædificii ad usque latus adversum, pede in quadro non major.

Alia planè sunt hæc ab illis quæ lucusque disserimus. An D. de La Boullaye coherat cum aliis itinerantibus ignoro. Spectantur, inquit illi, in loco tribus leucis à Bagdad inter Euphratem et Tigrim medio, in vastâ quâdam planitie magnæ ejusdem turris rudera, vulgari regionis nomine et traditione credite turris Nemrodi. Gyranr rudera illa 500 passibus circiter; surgunt autem majoris olim ædificii vestigia circiter 20 perticis seu 120 pedibus. Lateribus sole excoctis decem digitorum regiorum in quadro et trium crassitudinis constat opus; sex lateritii ordines alteri contritarum arundinum et paleæ admixtarum ordini incumbunt. De formâ hujus ædificii, vetustate undique collapsi, nihil certi. Quadratum tamen potius quam rotundum crederetur. An verò rudera illa Babelicæ turris habenda sint, nec ipsâ ejus regionis traditione satis constat. Arabes enim ejus loci molem hanc appellant *Agarouf*, opus tributensis Arabum cuidam principi, qui cogendis in prælium suis accensâ in ejus cæcamine face signum dabat.

Petrus della Valle, clari nominis itinerator, eadem quâ cæteri, sollicitudine, rudera ejus turris spectatur venit; sed in descriptione non satis cum aliis convenit. Refert ille, in loco, leucæ quadrante ab Euphrate orientem versus, spectari rudera quadrati fermè et magni operis ædificii, 1150 passuum circiter ambitu. Superiora, ferè ubique in conum, veluti pyramides desinant. Constat opus lateribus sole excoctis, quibus conjungendis pro cæmento est mixtura quædam è terrâ et arundinibus quibusdam contritis, quibus colligantibus ex unâ veluti massâ totum opus concretum est. Quo loco firmior exigebatur ædificii compages, lateres igne excocti ac bitumine colligati substituti sunt. Porrò vir iste, de quo modò, declinari sibi curavit duas ejus ædificii minis deformatas facies, septentrionalem nempe et meridionalem, quæ cum, Romam vniuersæ, obtulit P. Kirchero, qui ære incendas curavit. Qui persuasum habent ipsissimam hanc esse veterem Babelicam turrim, 1<sup>o</sup> laudant pro se receptam incolarum traditionem locum illum Babelæ appellatum; 2<sup>o</sup> ejus ædificii materiam, lateres nempe bitumine colligatos, quæ cum relatione turris Babelicæ apud Moysen quadrant; 3<sup>o</sup> quadrat et locus turris in agro Sennar ad Tigrim.

Sed facile hæc omnia diluas. Recepta in populo tra-

ditio, nec constans est satis, nec uniformis. Alia spectantur in regione turres, quibus eadem appellatio communis. Ad rationem ædificandi quod attinet, nihil in illâ peculiare; lateres enim et bitumen pro cæmentariâ omni materiâ hodiè pariter obtinent in illis regionibus. Gratis autem certus ille locus pro agro Sennar et loco turris assignatur. Si quis scientiâ valeret adæl ut locum illum turris ad duas leucas præter propter assignaret, illi certè causa adjudicanda esset, atque omni ambigendi remota causâ, an turris illa intacta, vel ruderibus suis spectanda adhuc subsisteret, certò definiretur.

Sunt qui turris illius rudera juxta Baldach ad Euphratem assignent (Kornman in Templo nature p. 289). Monstrant regionis incolæ ingentem roderum et lapidum struem, veteris ædificii reliquias, quas propius accedere vetat metus angium, magno numero in lateribus illis versantium. Verùm si lapidum strues superest, alterum sanè est ædificiû à turri Babelicâ, lateribus tantum et bitumine fabricatâ.

Paulus Orosius (lib. 2, c. 6), et post ipsum S. Greg. (Greg. Turon. lib. 1, c. 6 Hist. Franc.), confudisse in unum videntur urbem et turrim Babilonicam, quasi pro eodem usurpantes duo illa Scripturæ verba: *Civitatem et turrim*; nempe, ut ipsi quidem insinuant, urbem turribus munitam; saltem expressè satis auctores illi Babilonem conditori Nemrodo assignant. Sed Paulus Orosius notat reparatam illam fuisse à Nino vel Semiramide, quibus auctoribus debentur insignia illa ædificia ab historicis celebrata. Reliquias ejus turris ætate suâ adhuc mansisse affirmat Theodoretus (In Gen. quest. 59), asserens pariter illos qui oculis rem totam exploraverant, atque frustula ejus ædificii avulsa secum tulerant, optimè nôsse ædificium illud lateritium fuisse, bitumine pro cæmento colligatum. Nec plura Theodoretus.

Ex his omnibus statuendum censemus, historiarum apud Moysen relatæ veritatem assertam esse maxime, nihilque alienius ponderis adversus illam objicere potuisse sive Julianum, vel Celsum, cæterosque nostræ religionis adversarios. Fabellam autem gigantum, depellere è cælo Jovem tentitum, à Moysè derivari. Neque enim Moyses, utpote poetis omnibus vetustior, accipere quiddam ab illis potuit. Celsitudinem verò turris nullo doceri satis asserto monumento. Dejectam sive ventorum procellâ, seu ignis à cælo dilapsi vi nunquam constat; quin potius non inverisimiliter credimus, mansisse adhuc post hominum dispersionem. Belus, Semiramis, Nabuchodonosor augende condite jam urbi ornandæque pro suâ quisque ætate laborarunt. Non Xerxes quidem molem illam dejecit; sed spontè corruit eo temporis intervallo, quod post Hierodotum usque ad Alexandrum Magnum defluxit. Alexander ille restituendæ consilium inivit; sed summam operi manum non valuit imponere. Quæ ab itinerantibus relatæ sunt, veras quidem habemus vctissimorum ædificiorum reliquias; sed ipsissimam hanc esse turrim Babelicam heremus ambigit.

## CARRIERII VITA.

CARRIERES, Gallicè de CARRIÈRES, (Ludovicus) ab Auvilleo, propè Juliomagnum, oriundus, Oratoriano-rum Patrum ordinem ingressus est; nec multò post modestiæ pariter atque eruditionis decore conspicuus, ad varia conventus munera promotus est, quæ ad ætatem usque provecum, summo sodalium plausu, exercuit. Vir exultii admodum ingenii, nullius ecclesiasticæ laudis neglecti ornamentum; verum Scripturæ sacræ, ex quâ velut ex fonte uberrimo cætera disciplinae ultrò fluunt, subsecivas plerumque horas impendit. Longarum elucubratorum fetus prodiit Parisiis ab anno 1701 ad annum 1716, 24 v. in-12, modesto titulo inscriptus *Sainte Bible, en latin et en français, avec un commentaire littéral inséré dans la traduction française*. Commentariolus de quo hic agitur et quem præ cæteris interpres gallicis recurrendum duximus, constat, ut videre est, mo altero verbo Scripturarum compagini opportunè intertexto, quo sensus completior liquidiorque evadat. Ab ipsâ ver-

sione italicis caracteribus discriminiatur. Carrierius, orthodoxiæ magis studiosus quàm vocabulorum elegantia, dux est eximius, cui totò fideiorem. Genuinum Scripturæ sensum sagaciter eruit et breviter enunquat, adèo ut opusculum hoc, si consuetæ commentatorum amplitudini conferatur, lis meritis sit accensendum, de quibus dici potest: Mole parvum, re magnum. Versionem vulgò de Saicy nuceptam in multis refert litteraliter Carrieriana versio, sed omni partium studio accuratius expurgatam. Quamobrem huic longè præponitur, inprimis ex quo abbas de Vence, Nanceiensis presbyter doctorque sorbonicus, plurimis eam dissertationibus auxit ac locupletavit. Nullum fortè opus libellum toties totque diversis formis in Galliâ adnotatum est. Præcipuus inter editiones annumerantur Parisiaca, 1750, 6 v. in-4<sup>o</sup>; Tolosana, 1788, 10 v. in-12; Lugdunensis, 1820, 10 v. in-12.

Carrierius obiit Parisiis 1717, 55 annos natus.

## IN EXODUM

### COMMENTARIUM.

#### Argumentum.

Liber hic, ex præcipuo operis argumento à Grecis primum, deinde à Latinis vocatus est Exodus, id est, egressus (enarrat enim egressum Moysi et Hebræorum ex Ægypto, versus terram promissam Chanaan), perinde ac vocata est à Grecis et Latinis Genesis, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, ex argumento quod singuli hi libri pertractant. Apud Hebræos enim nulla his titulis nomenclatura respondet; sed ipsi quemque librum à sui exordio indigitant; uti Exodus vocant *veile scenot*, id est, *et ista sunt nomina*: quia ita incipit Exodus.

Auctor est Moses, qui, uti in Genesi, descriptâ creatione ac propagatione mundi, mox relicta historia Iudæi gentium, sui tantum populi hebræi, puta populi fidelis ex Abraham, Isaac et Jacob prognati, historiam, originem et propagationem descripsit, ita hic in Exodo eadem prosequitur.

Historiam ergo Patriarcharum et Hebræorum, à morte Josephi, in quâ Genesis finierat, resumens hic Moses, eandem peritexti usque ad annum alterum ab egressu Hebræorum ex Ægypto, ut patet Exodi ult. v. 1 et 15.

Completitur ergo Exodus gesta annorum 145. Id ita esse patet; nam à morte Josephi usque ad nativitatem Moysi fluxerunt anni 61. Moses verò anno ata-

tis sue 80 eduxit populum ex Ægypto, et anno sequenti erexit tabernaculum, in cuius erectione finitur Exodus; jungit enim 64 cum 80, his adde annum annum insequentem, habebis annos 145 jam dictos.

Pro quâ re, adèoque pro totâ chronologia Exodi, nota Hebræos habitasse in Ægypto, non 450, uti aliqui volunt, sed tantum ducentis et quindecim annis: ita ut à descensu Jacobi in Ægyptum, qui contigit anno Jacobi 150, Josephi 59, usque ad exitum Moysi et Hebræorum ex Ægypto, fluxerint tantum 215 anni. Id ita esse ostendam c. 12, v. 40. Ab hoc descensu usque ad mortem Josephi fluxerunt 71 anni; contigit enim hic descensus anno Josephi 59: Joseph autem vixit usque ad annum ætatis 110.

Rursum, à nativitate Moysi usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, fluxerunt anni 80. Unde sequitur medium tempus, quod fluxit à morte Josephi ad nativitatem Moysi fuisse 64 annorum; si enim 64 annos addas annis 80 Moysi, et 71 Josephi, qui fluxerunt à descensu Jacobi in Ægyptum usque ad mortem Josephi, habebis et explebis dictos annos 215 qui fluxerunt ab hoc descensu usque ad exitum.

Errat Trogus Pompeius, sive Justinus lib. 56, qui tradit Moysen fuisse filium Josephi. Errat et Josephus, qui lib. 1 contra Apionem asserit Joseph esse defun-



etum ante Mosen quatuor setatis, sive 170 annis; corrigendum enim est 64 annis, uti dixi.

Ex dictis sequitur Exodum completi historiam ab anno mundi 2510, quo mortuus est Joseph, usque ad annum mundi 2434, quo contigit ingressus Mosis et Hebræorum ex Ægypto: imò ad annum sequentem 2435, quo erectum est tabernaculum.

Moses igitur in Exodo enarrat primò Patriarcharum, puta filiorum Jacobi, mortem, secutamque duram Hebræorum ab Ægyptiis oppressionem et servitutem. Secundò, Mosis nativatem, gesta et plagas Ægypti. Tertio, transitum Hebræorum per mare rubrum, mercis in eo Ægyptiis. Quartò, pluisse Hebræis manna in deserto, in coque aquarum copiam invenisse, atque Amalec occidisse. Quintò, Deum eis dedisse legem in Sina fœdusque cum eis iniisse. Sextò, Hebræos fœdus rupisse et vitulum adorasse, idèoque Mosen tabulas legis confregisse et fedifragos crucidasse. Septimò, describitur fabrica tabernaculi ejusque varia supplex: quare periocha Exodi est primò decem plage

## CAPUT PRIMUM.

1. Hæc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob; singuli cum domibus suis introierunt:

2. Ruben, Simeon, Levi, Judas,

3. Issachar, Zabulon et Benjamin.

4. Dan et Nephthali, Gad et Aser.

5. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta: Joseph autem in Ægypto erat.

6. Quo mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illâ,

7. Filii Israel creverunt et quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleverunt terram.

8. Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph:

9. Et ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israel multus et fortior nobis est.

10. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur, et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur de terrâ.

11. Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus: edificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Pithonem et Ramesses.

12. Quotòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur et crescebant:

13. Oderantque filios Israel Ægypti, et affligebant illudentes eis:

14. Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terrâ operibus premebantur.

864  
Ægypti; secundò, decalogus cum præceptis judicialibus et ceremonialibus; tertio, fabrica tabernaculi.

Porrò hæc omnia eo fine facta sunt et scripta, primò ut Deus præstaret id quod promiserat Abraham, Gen. 17, v. 7 et 8: *Statuum pactum meum inter me et te, ut sim Deus tuus et semini tui post te, daboque tibi et semini tuo terram Chanaan.* Secundò, ut populo suo ex Ægypto et idololatriæ ducto, ex eo sibi Æleosiam formaret in Sinâ. Tertio, ut ostenderet quantam Ecclesie et suorum habeat curam, quàmque sit omnipotens et terribilis in puniendis eorum hostibus. Quarto, ut typum daret Ecclesie novæ et Christianorum qui ex gentilitate per baptismum et per multas tentationes et luctas, perque multa miracula, duce Christo tendunt in terram promissam in cœlis. Sicut ergo in Genesi mundi creationis, ita in Exodo ejusdem redemptionis historia et typus consignatur: ut jure Rabanus scripsit, omnia penè Sacramenta præsentis Ecclesie, in Exodo adumbrata et expressa esse.

## CHAPITRE PREMIER.

1. Voici les noms des enfants d'Israël, qui virent en Égypte avec Jacob, et qui y entrèrent chacun avec sa famille:

2. Ruben, Siméon, Lévi, Juda,  
3. Issachar, Zabulon, Benjamin,  
4. Dan, Nephthali, Gad et Aser, avec leurs femmes et leurs enfants.

5. Tous ceux qui étaient sortis de Jacob, en le comptant lui-même, étaient donc en tout soixante-dix personnes, y compris Joseph qui était déjà en Égypte, lorsqu'ils y arrivèrent, et les deux enfants qu'il avait eus en ce pays-là.

6. Après la mort de Joseph et celle de ses frères, et de toute cette première génération,

7. Les enfants d'Israël s'accroissent comme des arbres et se multiplient comme des poissons; et étant devenus extrêmement forts par leur nombre et leurs richesses, ils remplirent tout le pays où ils étaient.

8. Cependant il s'éleva dans l'Égypte un roi nouveau, à qui Joseph était inconnu, aussi bien que les grands services qu'il avait rendus à son royaume.

9. Ce nouveau roi dit donc à son peuple: Vous voyez que le peuple d'Israël est devenu très-nombreux, et qu'il est plus fort que nous.

10. Opprimons-les donc, non par violence, mais avec adresse et avec sagesse, de peur qu'ils ne se multiplient encore davantage; et que si nous nous trouvons surpris par quelque guerre, ils ne se joignent à nos ennemis; et qu'après nous avoir vaincus, ils ne sortent de l'Égypte et ne nous privent du fruit que nous tirons de leurs travaux.

11. Il établit donc sur eux des officiers pour présider aux ouvrages publics auxquels il ordonna qu'on les appliquât; et il voulut que ces officiers fussent durs et impitoyables, afin qu'ils les accablassent de fardeaux insupportables; et les Israélites bâtirent à Pharaon des villes pour servir de magasins, savoir: Pithon et Ramesses, étant pressés par ces officiers, qui ne leur donnaient aucun relâche.

12. Mais par un effet singulier de la protection du Seigneur, plus on les opprimait, plus leur nombre se multipliait et croissait visiblement.

13. C'est pourquoi les Égyptiens haïssaient de plus en plus les enfants d'Israël, et ils les affligèrent en leur insultant;

14. Et ils leur rendaient la vie ennuyeuse, en les employant à des travaux pénibles de mortier et de briques, et à toutes sortes d'ouvrages dont ils étaient accablés.

15. Dixit autem rex Ægypti obstetricibus Hebræorum, quarum una vocabatur Sephora, altera Phua,

16. Præcipiens eis: Quando obstetricibus Hebræas, et partus tempus advenit, si masculus fuerit, interficite eum: si femina, reservate.

17. Timuerunt autem obstetrices Deum, et non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, sed conservabant mares.

18. Quibus ad se accersitis, rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis?

19. Quæ responderunt: Non sunt hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi nati scientiam, et priusquam veniamus ad eas pariant.

20. Benè ergo fecit Deus obstetricibus; et crevit populus, confortatusque est nimis.

21. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.

22. Præcepit ergo Pharaon omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid feminini, reservate.

## COMMENTARIUM.

VERS. 1. — HÆC SUNT NOMINA. וְהֵם שְׁמוֹתָם, et ista sunt nomina: ubi et videtur copulare hanc Exodi historiam cum fine Genesios eamque continuare. Om enim Pentateuchus unus continuus fuit liber quem posteri deinde in quinque sectiones sive libros dividerunt. Adde וְהָיוּ הֵם בְּרֵאשִׁית פְּתוּחַת הַסֵּפֶר, et tantum ornatum servire, præsertim initio orationis vel sententiæ; unde et Ezechiel ita incipit: *Et factum est in anno tricesimo*, ergo et, apud Hebræos sæpè tantum est nota initii sermonis inchoatque orationem.

SINGULI CUM DOMIBUS SUIS INTROIERUNT. *Domibus*, id est, filiis et nepotibus: domus enim Hebræis sæpè significat sobolem, quòd ea sit quasi fabrica patris; sic Dominus promisit Davidi se ei domum, id est, sobolem regiam daturum, 2 Reg. 7, v. 11; Achab verò domum, id est, stirpem regiam, eversurum, 5 Reg. 21, 29. Sic Rachel et Lia edificarunt domum, id est, propliam, Israël, Ruth 4, 11. Sic domum sumunt quoque Græci, Latini, Galli, Flandri, Hispani, Itali. Hinc poeta:

Cum domus Assaraci victis dominabitur Argis.

Secundò, rectè domus per metonymiam accipitur pro familiâ, et re totâ familiari quæ domo continetur, quomodo ferè accipit domum Arist. libr. 1 Politic. cap. 1, cum ait: *Domus est economica communicatio, ex viro, uxore, filiis, servis, bove aliisque animalibus constans.* Unde Chaldeus vertit, *singuli introierunt*

45. Or, ce premier moyen qu'on avait pris pour faire périr les enfants d'Israël, ne réussissant pas, le roi d'Égypte parla aux sages-femmes qui accouchaient les femmes des Hébreux, et s'adressant aux deux principales d'entre elles, dont l'une se nommait Séphora et l'autre Phua,

46. Et leur fit ce commandement: Quand vous accouchez les femmes des Hébreux, au moment que l'enfant sortira, si c'est un enfant mâle; tuez-le; si c'est une fille, laissez-la vivre.

47. Mais les sages-femmes furent touchées de la crainte de Dieu, et si non firent point ce que le roi d'Égypte leur avait commandé, mais elles conservèrent les enfants mâles.

48. Le roi les ayant fait venir, leur dit: Quel a été votre dessein, lorsque vous avez épargné ainsi les enfants mâles?

49. Elles lui répondirent: Les femmes des Hébreux ne sont pas comme celles d'Égypte, car elles savent elles-mêmes comme il faut accoucher; et avant que nous soyons venues les trouver, elles sont déjà accouchées.

20. Dieu fit donc du bien à ces sages-femmes, non pour approuver leurs mensonges, mais pour récompenser leur charité; et le peuple d'Israël s'accrut et se fortifia extraordinairement; le Seigneur leur bénissant d'autant plus, que les Égyptiens faisaient plus d'efforts pour les faire périr.

21. Et parce que les sages-femmes avaient moins craint de déplaire au roi que de désobéir à Dieu, il établit leurs maisons, en les comblant de biens, et leur donnant une nombreuse postérité.

22. Alors Pharaon voyant le mauvais succès des mesures qu'il avait prises pour exterminer adroitement les Hébreux, eut recours à la violence ouverte, et il fit ce commandement à tout son peuple: Jetez dans le fleuve tous les enfants mâles qui naîtront parmi les Hébreux, s'ils ne les y jettent eux-mêmes, et ne réservez que les filles.



*Aegyptio vixerunt, ita numero aucti sunt, ut preter parvulos et uores, sexies centena millia peditum in egressu numerata sint, cap. 12, v. 37.*

SEPTUAGINTA, si Joseph cum duobus filiis annumeros; ut patet Gen. 46. Quare quod statim hic subdit Moses: *Joseph autem in Aegypto erat, exceptionem continet, non ab eo quod immediate processit, sed ab eo quod paulo ante dixerat, v. 1: Hæc sunt nomina filiorum Israel qui egressi sunt in Aegyptum.* Hebræi enim non semper proximè præcedentia, sed superiora sæpè et remotiora respiciunt. Sensus autem est, quasi dicat Moses: v. 1 inter filios Jacobi ingredientiæ in Aegyptum non numeravi Joseph; quia Joseph jam ante fuerat et erat in Aegypto.

VERS. 6. — Quid mortuo omnique cognatione illa. Cognatione, scilicet filiorum, tam suorum quam fratrum, puta nepotum suorum ex fratribus, quæ proxima et maxima est cognatio, q. d. Mortuo Joseph et fratribus eorumque filiis, puta in secundâ eorum generatione, sive in nepotibus eorum. Undè hebr. pro cognatio est *dor*, id est, generatio vel seculum, q. d. Mortuâ illâ generatione sive seculo, puta mortuis illis 70 qui cum Jacob ingressi erant in Aegyptum, tunc statim mirè creverunt et multiplicati sunt filii Israel, qui erant filii et posterii illorum primorum 70.

VERS. 7. — QUASI GERMINANTES. Hebr. est *jisreisu*, id est, ebullierunt instar ranarum et piscium, quorum mirra est fetura et multiplicatio, præ avibus et animalibus terrestribus; idque tum ob humoris luxuriam, ut vult Plin. lib. 9, c. 2, tum quia cunctis anni temporibus generant, ut docet Aristot. lib. 6 de Animal. c. 47. Nota hic interpretem nostrum subinde adhibere alias similitudines et metaphoras quàm sint in hebræo, quando res est eadem idemque sensus: præsertim si familiarior nobis aut clarior sit sua quàm ea est in hebræo, ut est hæc germinis præ illâ ranarum et piscium. Hoc enim permittitur, imò decet fidem interpretem. Porro *re germinantes*, significat eos instar germinis multiplicatos esse, et quasi terræ filios è terrâ turmatim prodississe, et, ut Aquila vertit, *irrepississe*. Unde Septuag. vertunt, *filii autem Israel creverunt et multiplicati sunt, et effusi facti sunt*: ita creverunt ut per universam illam terram diffunderentur, ait Theod. græcè *ὑπερβύσσοντες*, quod interpres Origines vertit: *in multitudine magnâ effusi sunt, et inaccessabunt validè; multiplicabat autem illos terra*. Appositè: nam sicut ex uno seminis grano succrescunt multi culmi, ex uno culmo multe ariste, ex unâ aristâ multa grana, ita ut ex uno grano sæpè nascantur trecenta et plura: ita ex uno patriarchâ, puta ex Judâ, nascebantur plures filii, ex uno filio plures nepotes, ex uno nepote plures abnepotes, etc., ita ut ex uno patriarchâ, intra centum annos, aliquot non centene, sed millenæ proles progignerentur, possitque patriarcha ex solis filiis et nepotibus, exercitum instruere eunquæ in aciem contra hostes educere.

ROBORATI NIMIS. Aucti multitudine, quæ exercitiis aut populi ingens est robor. Utitur hic Moses anadiplosi, ut significet innumeram gentis suæ propagationem.

IMPLEVERUNT TERRAM. Intellige accommodatè, suam vel sibi attributam, puta terram Gessen. Quæres unde tanta Hebræorum multiplicatio, an ex naturâ, an ex miraculo? Resp. primò eam non esse propriè ascribendam miraculo: naturaliter enim 70 homines, si continèd generent, et hi alios, et illi alios semper per 215 annos, immensum producent filiorum numerum. Unde Diodoras Siculus docet lib. 5, c. 2, Nimum, qui regnare cepit sub annum 250 à diluvio, contra Bactrianos eduxisse peditum decies septies centena millia; et equitum ducenta millia. Vide quantum 250 annis, ex tribus tantum Noe filiis propagati sint homines. Pari ergo modo idem hic fieri potuit, idque primò, quia naturaliter fieri potuit ut omnes mulieres hebræe essent fecundæ, et singulis annis parerent. Secundò, fieri potuit ut præmaturesset inciperent parere, et serò admodum desinerent. Tertio, tradunt Hebræi, nec repugnat Abul, eas binas, ternas, quin et quaternas proles, simul peperisse; imò Aristoteles lib. 7 Hist. animal. cap. 4, asserit id in Aegypto esse vulgare. Sic enim ait: *Cum animalia quedam singulos pariant, alia plures, genus humanum in incipienti est: nam ut plurimum, mulieres singulos singulos pariunt. Verum sæpè, et locis plerisque geminos etiam edunt, ut in Aegypto fieri certum: pariunt enim in Aegypto et tres et quatuor, idque locis nonnullis, sæpè fit; sed cum plurimum quinque nascuntur, et quedam quatuor partibus viginti edidit, quinos singulos partibus enixa; majoræ eorum pars contrari et adolescere potuit.* Ita Aristoteles.

Respondeo secundò hæc Hebræorum fecunditatem et propagationem non esse ascribendam soli nature, sed singulari Dei providentiæ, auxilio et concursui, quæ naturam adjuvit, fovit, vegetiorem et fecundiorem efficit. Probatur, quia Hebræi ita creverunt, cum essent in summis et continuis laboribus et afflictionibus, tam corporis quàm animi, imò quò magis opprimebantur, tantò magis crescebant: hæc autem oppressio et afflictio contraria est fecunditati et sterilitati affert; et hoc est quod ait S. August. lib. 18 Civit. c. 7: *Creverunt Hebræi dieminiis fecundatâ eorum multiplicatione.*

Allegoricè Jacob cum duodecim filiis ingrediens Aegyptum, significat Christum cum 12 apostolis ingredientem orbem, eoque toto predicantem Evangelium; ex quo post mortem Joseph, id est, Christi, propagata est innumerabilis credentium multitudo. Ita sanct. Augustinus serm. 84 de Temp.

VERS. 8. — SURREXIT INTEREA REX NOVUS. Qui hic? Cajet. putat fuisse origino non Aegyptium, sed Assyrium. Probat ex eo quod ait Isaias 52, 4: *In Aegypto descendit populus meus, et Assur calamitatus est eum.* Verùm alius illius loci est sensus, ut ibi dixi. Secundò, alii cum Euseb. putant fuisse Mephrem, quem Eusebius quartum regem facit ex dynastiâ 18 quæ est Politianorum: additque in anno primo ejus regni mortuum esse Joseph, et cœpisse afflictionem Hebræorum. Verùm hoc repugnat Scripturæ hic, quæ asserit hanc afflictionem cœpisse post mortem Joseph et omnium fratrum ac nepotum ejus. Jamdiu post Joseph vixit Levi, alique fratres et nepotes; ergo diu post mortem Joseph cœpit hæc Hebræorum afflictio.

Tertio, alii putant fuisse Ramessem, ex eo quòd ab eo, ut videtur, vocata sit urbis Ramesæ, quam in hæc afflictione ejus jussu edificârunt Hebræi. Verùm Euseb., Cyril. et alii tradunt Ramessem diu post Mosem regnâsse. Quarto, Gerardus mercator regem hunc vocat Armesesianum quem ait regnâsse annos 66 et cœpisse regnare quinque annis ante ortum Mosi. Quintò, Abul., Perer., Torნიელს alique probabiliter putant fuisse Amenophim, qui in 18 dynastiâ Politianorum fuit septimus, quem quidam Memnonem putant lapidem loquentem, quippe ejus statua usque ad Christum vocem dedit; cum enim radius solis circa ejus exortum statuum hanc attigisset, et ad os ejus pervenisset, tunc illa more modoque hominum loquebatur: hujus enim anno 18 natum esse Mosem tradit Euseb.; hæc autem Hebræorum afflictio cœpit paulo ante ortum Mosi. Hic dicitur rex novus, non quòd esset ex aliâ dynastiâ, sed quòd esset ex aliâ familiâ quàm superiores reges qui Joseph coluerant, inquit Josephus: vel dicitur rex novus, ratione diversi et novi ingenii, consuetudinibus, morum et gubernationis: diversi, inquam, à regibus præcedentibus, qui Joseph et Hebræos benignè tractaverant.

Allegoricè rex vetus est Deus, rex novus est diabolus, qui fideles afflixit tripliciter. Primò, violenter per duces imperatorum rom. persecutiones: secundò, sapienter per philosophos et hæreticos; tertio, astutè et blandè per illecebres et voluptates, uti jam facti, parâ Ecclesiæ pace. Vide Rupert. et S. August. ser. 84 de temp. ita Abbas ille apud Joannem Moschum in Prato spir. c. 144, dicebat: *Non appetamus Aegyptiis servire voluptatibus, quæ Pharaoni pernicioso tyranno obnoxios faciunt.* Qui ergo voluptati servit, Pharaoni, id est, damoni, se subdit.

QUI NON NOVERAT JOSEPH. Chald. vertit, *qui non servabat decreta Joseph, sed novâs leges et mores inducebat, juxta illud: Novus rex nova lex.*

VERS. 10. — VENITE, SAPIENTER OPPRIMAMUS EUM. Hebræa habent, *agite, sapiamus in eum*, vel contra eum; Septuag., *κατασφραγισατε εινον, callidè agemus contra eos*: sapientia enim et prudentia aliâ de summo Dei est, aliâ mundi terrena et diabolica (qualis hæc fuit) Jacobi 3, v. 15. Utiq; non hæc lege, fine et mente, Pharaon Hebræos in regnum suum aduserat.

Quæres quândo cœperit hæc oppressio Hebræorum? Primò, Euseb. in Chronico putat eam cœpisse statim à morte Joseph, ac consequenter durâsse 144 annis; tot enim sunt à morte Joseph usque ad exitum ex Aegypto; sed hic est error: ait enim hic Moses eam cœpisse post mortem Levi omniumque fratrum et totius cognationis, è qua multi diu vixerunt post Joseph. Secundò, Hebræi in *Seter olam*, putant eam cœpisse in morte Levi ac durâsse 116 annis; sed et hi tam in primo quàm in secundo errant: à morte enim Levi usque ad exitum ex Aegypto, fluxerunt anni non 116, sed 121. Tertio, Torნიელს putat eam cœpisse initio regni Amenophis, ac durâsse 106 annis. Quarto, Pererius putat eam durâsse 87 annis.

Resp. et dico eam cœpisse paulo ante nativitatem Mosi ac durâsse 90, plus minus, annis; scilicet 10 annis ante Mosem, et 80 annis vivente Mose; nam 80

anno vite suæ, Moses ex eâ, et ex Aegypto Hebræos edaxit. Id patet primò, ex eo quòd illa cœperit post mortem Joseph, fratrum omnisque illius primæ generationis: constat autem de Levi, qui à tantum annis senior erat Joseph, vixisse eum annis 157, ut patet c. 6, v. 16; vixit ergo Levi 25 annis post mortem Joseph: à morte autem Joseph ad ortum Mosi fluxerunt anni 64; à morte ergo Levi ad Mosem fluxerunt anni 44. Rursùm Caath filius Levi vixit 153 annis, ut patet c. 6, v. 18; qui si ponatur natus anno 20 Levi, sequitur eum Levi patri suo supervixisse annis 16, ita ut à morte Caath ad Mosem tantum fluxerint anni 25. Rursùm post Caath vixisse et defuncti videntur Phares et alii, qui pueri erant cum ingressi sunt Aegyptum: hæc autem afflictio cœpit post mortem Levi, Caath et cæterorum 70 qui ex Chanaan descendèrant cum Jacobo in Aegyptum: imò post horum mortem, cœpit primùm illa Hebræorum multiplicatio, de qua v. 7, quæ hæc invidiam et odium novi regis concitavit, ut eos affligeret. Post Caath ergo 43 anni circiter fluxisse videntur, quibus partim defuncti sunt reliqui è primis 70, partim nullâ prole aucti sunt Hebræi: ita ut invidia et persecutio Aegyptiorum contra Hebræos, cœperit decennio circiter ante ortum Mosi. Id 2<sup>o</sup> probatur ex eo quòd hæc persecutio cœperit sub ortum Marie sororis Mosi, quæ inde dicta est Maria, idest, amaritudo, uti tradunt Hebræi: Maria autem decennio circiter fuit senior Mosi. Nam illa Mosè infantem expositum custodivit, et curavit ali et educari, ut patebit cap. 2; erat ergo tum ipsa facillè decennis.

Vide hic quàm citò mortalibus surrepat oblitio et ingratitude. Joseph servatam in fame Aegyptum debebat rex et Aegyptii: rursùm Joseph quintam partem proventum totius Aegypti, jure perpetuo in fame populum alendo, coemerat; sed *celeriter non visum, et (ut Pindarus ait) vetus beneficium oblitivum, et quasi somno traditur*; homines enim beneficia pulveri, maleficia marmoris inscribunt, imò insculpunt; ut dicebat B. Thomas Morus. Quàm et hodiè in uribus, regnis, congregationibus sæpè experimur illud, *Surrexit rex novus qui ignorabat Joseph!* Discere ergo quòd aiebat idem Morus: *Benè ac laudabiliter facta pro merito compensare mundus hic nec ingratum solet, nec gratis potest.* Qui ergo gratiam principum captatis, audite illud Volscæ, qui Henrico VIII, Anglicæ regi, divortium cum Catharina fuit causa, et postea summam regis indignationem incurrit: *Ego, inquit, quia non Dei, sed regis favorem quævisi, hinc Dei gratiam amisi, et regis non acquisivi.*

Novimus nuper in Belgio alicum primarium, qui principi eundam vicium per multos annos intinuit, et in summis fuerat deliciis, postea verò levè de causa onni ejus gratiâ exiit. Is ex aulâ secedens altissimis philosophari, Deoque et anime suæ vacare cepit: tumque dictitare solebat: *Experientiâ didici, quantum intersit inter obsequia delatæ principi, et delatæ Deo; discere quantum intersit inter gratiam principum et gratiam Dei. Didici enim et vidi obsequia magna et multa principi delatâ, citò oblitio tradit, et partim renu-*



nerari : sin principem vel leviter offendas, vidi quod manet alta mente repostum, quodque severe vindicatur: obsequia vero, etiam parva, Deo delata, didici in aeternâ ejus memoria servari, magnisque et aeternis premiis ab eo remunerari : offensas autem in eum, etiam graves, levi poenitentia ita deleri ut ipse proinus omnis injuria obliviscatur poenamque ultrò condonet. Hoc est quod ait Comicus :

*Si quid benefacias, levior plumâ est gratia;  
Si quid peccatum sit, plumbeas iras gerunt.*

Jure ergo ex clamat S. Ber. epist. 107: *Useculum nequam, quod solos tuos sic soles deare amicos, ut Dei facias inimicos! Inveni Aman gratiam apud regem Assuerum: haec illi gratia cruceum peperit; invenit gratiam apud Absalonem Achitophel: haec illi suspendium attulit.*

Quaeris secundò cur tam durâ et diutinâ servitute permisit Deus Hebraeos opprimi in Ægypto? Resp. Rupert. justè eos in illud ergastulum compactos esse, in quod fratrem Josephum prae miserant; sed lid patrum, non autem filiorum eorum fuit peccatum. Resp. ergo: Primò quia nonnulli eorum imbibentiam impios mores et idololatriam Ægyptiorum; Hebraeos enim coluisse Apin et idola in Ægypto, docet Ezech. c. 25, 8, illudque ibidem expressè docet S. Hieron. et Theod. Hinc et paulò post vitulum, quasi Apin Ægyptium, in Sinâ collabantur: hinc et toties Moses in Pentateucho idololatriam vetat et damnat. Ita Aben Ezra. Fuit ergo haec servitus poena peccati. Secundò, hæc servitute quasi stimulo, voluit eos excitare Deus, ut aversarentur Ægyptum et Ægyptis; atque in Chanaan, eis à se destinata, contenderent. Tertio, ut hæc servitute daretur Hebraeis occasio, et justus titulus spoliandi Ægyptum, itaque se ditandi. Quarto, ut per eandem daretur occasio plurima et maxima edendi portenta, puta 10 plagas Ægypti, quibus Deus toti orbi volebat patefacere suam potentiam, et vindictam in impiis Ægyptiis, ac clementiam curamque paternam erga suos Hebraeos. Quintò, ut per eam Hebraeos purgaret, perficeret et illustraret; quò enim magis opprimebantur, eò magis crescebant. Sextò, ut hoc quasi felle mel et delicia Ægypti, Hebraeis ad illas anhelantibus, insipiditas redderet, ut egressi nunquam in Ægyptum regredi cuperent: quàm enim Hebraei ollas Ægypti adamarent, et repetere optarent, patet Num. 11, v. 5, et c. 14, v. 3.

NE FORTE MULTIPLICETUR, ET SINGREDITUR CONTRA NOS BELLEUM, ADDATUR INIMICIS NOSTRIS, EXPUGNATISQUE NOBIS EGREDIATUR DE TERRA. Nota hic tres causas moventes Ægyptios ad oppressionem Hebraeorum; scilicet metum, invidiam et odium. Primò, metum, ne ingruente bello se jungerent hostibus Ægyptiorum, hisque victis et spoliatis exirent in terram sibi à Deo promissam, puta, Chanaan. Hoc enim quasi Abrahæ et sibi à Deo promissum iactabant Hebraei, idèoque eos timebant Ægyptii. Secundò, invidiam, quia videbant se ab exteris Hebraeis sobole numerosâ, pulchrâ, robustâ, solerti, alisque animi et corporis dotibus instructâ et præstanti superari. Tertio,

odium conceptum ex diversitate religionis, indolis et morum: Ægyptii enim suum Apin, sive bovem aliquam animalia; Hebraei unum Deum verum colebant; hinc boves et sacrificabant et comedebant Hebraei, quod abominabantur Ægyptii. Ita Josephus, qui quartam odii causam addit, hanc scilicet, quòd vates quidam Ægyptius prædixerat, brevi nasciturum quemdam ex Hebraeis, qui si adolesceret, imperium Ægyptiorum everteret, res autem Hebraeorum mirè augetet et prosperaret: hic fuit Moses.

VERS. 11. — PRAEPOSUIT EIS ITAQUE MAGISTROS OPERUM. Hebr. magistros, *missim*, id est, tributorum, non pecunia, sed laterum; ut scilicet quisque suum in dies pensum operis persolveret. Rectè ergo noster interpret vertit, *magistros operum*: unde et Septuag. *ἐκράτους τῶν ἔργων*, id est, *praefectos operum*, verterunt. Erant enim hi non ut architecti fabricam dirigentes, sed ut imperiosi exactores, ait Philo, eos urgentes, idque ad enervandas vires Hebraeorum, adque exterminandam exhauriendamque laborem nimio eorum generandi seque propagandi facultatem: scilicet ut pressos angustiis vivere dùm cædet, voluptate conjugali frui non libeat. En quàm ipse fidelium hostis Pharaò et dæmon scit verum esse illud:

*Ota si tollas, perire Cupidinis arcus?*

Quàm verè juvenis ille apud S. Hieron. epist. ad Rusticum, libidine tentatus, falsò commissi criminis et fornicationis in dies (procurante id secretò Abbate ad tentationis victoriam) accusatus, dixit: *Vivere non licet, fornicari libet?* Audi Philonem lib. 1 de Vita Moysis acerbam hanc Hebraeorum servitutem describentem: *Rex, inquit, cogebat ad opera servitia homines non solum ingenuos, sed hospites. Secundò, imperabat eis graviora quàm ferre possent, alios super alios labores cumulans. Tertio, si quis labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa judicabatur. Quarto, operibus præerat inmitissimus et crudelissimus quisque, quos proinde exactores vocabant. Quintò, ex nimio labore et æstu, plurimi corripiebantur et moriebantur peste, quos in sepultos projiciebant Ægyptii, ait Philo. Sextò, addit Eusebius, apud Euseb. lib. 9 de Prepar. Evang., regem jussisse Hebraeos diversâ quàm Ægyptios veste indui, ut ita risui et vexationi omnium eos exponeret, idèoque regem illum à Deo punitum esse, et elephantico morbo cruciatum interiisse.*

OPERUM. Quaenam hæc opera Hebraeis imposita ab Ægyptiis? Respond.: Primum opus fuit formare lutum in lateres: patet v. 14. Secundum, ædificare urbes Phithem et Rameses, ut hic dicitur. Tertium, Nilum in multas fossas diducere, ad irrigandum singulorum agros et prata, fossasque aggeribus cingere. Ita Josephus qui quartò, pyramidum insanas substructiones tribuit Hebraeis. Denique v. 14 ait Script. eos servisse in omni famulatu in operibus terræ.

Moral. S. Bernard. in Sent.: *Magistri, ait, operum Pharaonis tres sunt: fatidus ardor astutis luxuriae, anxius furor avaritiae, noxius appetitus inanis gloriae.*

ÆDIFICAVERUNTQUE URBS TABERNACULORUM. Sic et

Aquilam vertisse ancor est Procopius. Chaldaeus vertit, *urbes thesaurorum*, ut hebraeam *sachan*, unde *miskenot*, idem sit quòd latinum *ensere* et census, per metathesin. Septuag. vertunt *πόλεις ἑβραίων*, id est, *urbes munitionis*; Oleaster, *urbes conclusas*, vel *urbes ad includendum*, scilicet arma, vel quid aliud. Hebraeam *miskenot*, propriè significat granaria, apothecas, repositories, ut vertit Vatab. et alii. Erant ergo hæc urbes quasi granaria (unde noster vertit tabernacula) regni, in quibus recondebantur publica frumenta, oleum, vinum, etc.: hæc enim erant opes et thesauri Ægyptiorum; idèoque hæc urbes erant munitione et conclusæ, uti vertunt Septuaginta et alii.

PHARAONI. Nota. Omnes reges Ægypti vocantur Pharaones, sicut omnes romani Imperat. vocantur Cæsares. Quaeris unde? Primò, aliqui putant Pharaones dici à Pharo insulâ Ægypti. Secundò, alii, Pharaò, inquit, hebr. idem est quòd liber, nudatus, expeditus (à rad. *para*, id est, nudavit, expeditiv), indeque videtur dictum latinum *Baro*; reges ergo dicti sunt Pharaones quasi Barones, id est, liberi principes et dominantes. Verùm Pharaò, Ægyptium est nomen, non hebraeam. Tertio, alii reges Ægypti dicuntur Pharaones, à primo eorum rege Pharaone, sicuti postea idem dicti sunt Ptolomæi, à primo Ptolomæo, filio Lagi, cui Alex. Magnus Ægyptum attribuit. Verùm quia de primo rege, qui proprio nomine Pharaò sit dictus, nusquam legitur; hinc, quartò verò videtur Pharaò nomen esse dignitatis, et apud nos est nomen Augustus. Ita Euseb. in Chronico: et Josephus, qui disertè docet lib. 8 Antiq. c. 6, quòd Pharaò Ægypticè regem significet: *Pharaò ergo*, inquit Josephus, *honoris et principatus est nomen, quo vocati sunt omnes reges Ægypti, à Mineo illo qui Memphis condidit, quique multis annis Abrahamum præcessit, usque ad Salomonis tempora, per mille trecentos annos; nam post Salomonis socerum Pharaonem, nemo Ægyptiorum regum amplius hoc nōmine est vocatus.* Hactenùs Josephus qui in hoc ultimo suo dicto hallucinatur: constat enim ex libris Regum, Ezechiele et Jeremiâ, post Salomonis tempora, Pharaonem Nechao extitisse, qui occidit Josiam, et Pharaonem Ephree, aliosque reges Ægypti passim vocari Pharaones usque ad captivitatem babilonicam.

PHITHOM ET RAMESSES. Erant hæc urbes in regni limitibus: nam de Ramesse egressi narrantur Hebraei in Seoth cap. 12, v. 57. Rameses fortè dicta est à Ramesse terrâ in Gessen, quam Hebraeis incolendam dedit Pharaò, Gen. 47, 11. Ita S. Hieron. (vel quisquis est auctor: nam in Smyrna citatur ipse sanct. Hieron.) in Locis Hebraicis, vel certè, ut vult Abul., ab hæc urbe Ramesse tota regio dicta est Ramesses; ut Gen. 47, 11, vocetur Ramesse per prolepsin terra que postea ab hæc urbe dicta est Ramesses: hanc Abul. et alii postmodum urbem Heroum dictam volunt. Unde Gen. 46, v. 28 et 29, ubi Joseph dicitur occurrisse patri Jacobo in Gessen, sive Ramesse, Septuag. habent, ad Heroum civitatem. Eandem deinde dictam esse pagum Arsenoitarum, ac denique Thebas

S. S. V.

et Thebaida, tot monachorum incolat et monasteris celeberrim, idem censent: quoniam Adrichomius hæc omnia distinguit, tresque ponat civitates diversas, scilicet Thebas, Thebas et Heroum civitatem. Perperam Tharum hierosolymit. pro Phithom et Ramesses, vertit *Tanis et Pelusium*. Tradunt Hebraei Judæos in hisce urbibus ita sequitur laborasse ut ipse in proverbium abierit; dicunt enim de pigro: *Iste est Phithom et Rameses.*

Addunt Septuag. Hebraeos ædificasse Heliopolin. Suspexit id est S. Hieron. in Locis hebraicis, eò quòd Heliopolis jam ante fuerit extracta, ut patet Genes. 41, v. 45. Sed responderi potest aliam hanc fuisse Heliopolin; aut, si eadem fuit, casu aliquo fuisse eversum, et ab Hebraeis reedificatam, aut ita adactam ut nova videretur esse civitas.

Tropol. Phithom hebr. idem est quòd os deficiens, vel os abyssus. Ramesse est commotio vel conculectio tineæ. Hæc ædificare jubet Pharaò, id est, dæmon, ut peccator in modicè audiat cum Lucifero illud Isaiæ 14, 41: *Subter te sternatur tinea, et operimentum tuum erunt vernes.* Vide Origen. et Rupert. Unde et S. Bern. in Sent.: *Triforme, ait, est impiorum refugium: deceptricis documentum fallaciae, quæ est Phithom; secularis munimentum potentia, quæ est Ramesse; simulacris figura justitiæ, quæ est civitas Solis. Has ædificari jubet Pharaò.*

VERS. 12. — QUANTOQUE OPPRIMEBANT EOS, TANTO MAGIS MULTIPLICABANTUR. Nota S. Aug. lib. 18 Civ. 6, hoc non naturaliter, sed divinâ virtute accidisse: natura enim nimio labore et angore desiccata, aretata et suppressa, tot proflibus generandis, humidum spiritumque vitalem suggerere nequibat; itaque quò majori opere et molestia tam corpus quàm anima opprimebatur, eò ad generandum erat inceptior. Fidem suam Abrahæ datam liberat hic Deus; etiâsi immutandus sit quem fixit semel, rerum ordo, ut in altissimam ejus providentiam, fortissimam spem Israelicæ omnes collocares discant. Rursim vide hic quàm crescat adversis agitata virtus, que in prosperis languet et marcescit. Id claris significat hebraea, que pro *multiplicabantur*, habent *tiphrots*, id est, *erumpebat*; perinde enim ac aqua, sive fluvius, quò magis arctatur et concluditur, eò majori vi et copia eluctatur, aggeres obicesque perfringit et erumpit: ita et hic filii Israel, pressi ab Ægyptiis, majore vi et copia eluctabantur et erumpebant.

Moraliter disce hic servitatem piis et fidelibus non nocere, sed prodesse, adeoque eos qui Deo servantur eique curæ sunt, esto sint servi, liberos tamen esse. Ita Non dicitur: *Donos servos esse liberos, improbos autem libertinos nullis cupiditatibus servire;* et Sophocles: *Etsi, ait, corpus servum sit, mens tamen libera est.* Diogenes in servum venditus, rogatus quid sciret? respondit: *Novi hominibus liberis imperare.* At ille eum manumissit, filiosque ei tradens: *Accipe, inquit, liberos meos quibus imperes;* testis est A. Gell. lib. 2. Unde Seneca ep. 28: *Qui servitutum, inquit, contempserit, in quilibet turbâ dominantium liber est.* Terentius servus fuit, et didicit laud servili ingenio, et co-



modias scripsit haud servili stylo, quo et libertatem, et inter poetarum duces meruit locum. Plato in servitium delatus, quia philosophus, major emente se fuit. Fortunâ quilibet major est animus, et in servo corpore libera mens habitat. Curia servum respuit, at non virtus, non industria, non fides. Tyro Ciceronis servus fuit, sed his artibus libertatem adeptus, elegantem de patroni jocis librum posteris reliquit. Inter fideles, nobilis fuit Serapion eremita, qui parvo pretio se vendidit, ut servus factus suâ virtute et sapientiâ dominum suum converteret, atque à peccati servitute absolutum ad veram traderet libertatem. Nobilior fuit S. Paulinus Nolanus Episc., qui pro filio viduce in servum se tradidit Wandalis, suâque virtute et prophetiâ à rege civibus suis omnibus libertatem impetravit. Malchus ille, cujus vitam scripsit S. Hieron., servus fuit, ejus in conjugio castitas à leone vindicata, et in libertatem asserta fuit. Leo enim herum Malchum in fugâ insequentem occidit, itaque Malchus liber effugit. Denique Catois fuit ea vox quam celebrat Cicero: *Solus sapiens liber est.*

VERS. 15. — ODERANTQUE FILIOS ISRAEL ÆGYPTII. Quasi diceret: Hinc, vel idcirco oderant, quia videlicet eos carnabant ad eum crescere; hebr. est *iakutsu*, id est, compungebantur (inde enim *kots* significat spinam, eò quod pungat) scilicet dolore, invidia, angore, tristitiâ, fastidio et odio: et, ut Chald., tribulabantur et angebantur propter filios Israel. Hinc patet Ægyptios invidisse Hebræorum incremento et prosperitati; odiumque eorum non tantum ex metu, sed et ex invidia ortum habuisse. Id disertè docet Josephus et David Psalm. 104, v. 24 et 33.

ET AFFLIGEBANT ILLUDENTES EIS. Hebr. est, et *servire fecerunt filios Israel in duritiâ*, vel *sævitia*, hoc est, tyrannicè eos quasi mancipia tractarunt et exercuerunt: nam summa tyrannis et sævitia est ei quem opprimis illudere; rectè ergo veritè noster, *illudentes eis.*

VERS. 14. — OMNIQUE FAMULATU, QUO IN TERRÆ OPERIBUS PRÆBERANTUR. Hebr. est, *in omni opere agri*, id est, in omni opere rustico, *erat servitus eorum dura et sæva, inclemens et tyrannica.* Hinc videtur quòd Pharaon Hebræos per totam Ægyptum distribuerit, ut in agris et villis passim quasi rustici et servi facerent omnia opera rustica, eaque gravissima eis imponeret, ac cogeret eos quasi asinos laborare.

VERS. 15. — DIXIT AUTEM OBSTETRIGIBUS HEBRÆORUM. Hæc est secunda tyrannis et tyrannica calliditas priore servitute, labore et oppressione major, quâ Pharaon conatur sobolem gentis hebrææ extinguere, idque obstetricum operâ, quarum arte solet proles vita servari, ait Origen. hic hom. 2. Has obstetrices hebræas fuisse opinantur Hebræi, et S. August. lib. contra mendac. c. 15. Sed verius videtur eas fuisse Ægyptias; Ita Josephus, Hingo Victor. Abul., Oleaster et alii. Neque enim Hebræis in suam sevirè gentem tam facile persuaderi posse, credidisset tyrannus. Rursum ipsemet sat indicat se Ægyptiorum servisse puerperis, fuisseque ægyptias, cum aiunt: *Non sunt*

*hebrææ sicut ægyptiæ mulieres: priusquam veniamus ad eas, hebræas scilicet, pariunt.* Hinc laudabili fuit earum pietas.

USA VOCABATUR SEPHORA, ALTERA PHUA. Hæc duæ celebriores erant, et quasi principes aliarum, per quas Pharaon reliquis hoc summi mandatum significari curavit. Tradunt Judæi, et ex his Lyranus, has duas fuisse Jacobabed ejusque filiam Mariam, scilicet, sororem Mosis; ideoque Deum ædificasse eis duas domos, scilicet sacerdotalem et regiam: de Jacobabed enim nati sunt sacerdotes, puta Moses et Aaron; de Mariâ verò nati sunt reges, quia Maria nupsit Caleb principi domus Juda, in quâ fuit sceptrum et familia regia. Verùm hæc sint fabulæ et commenta Julia regum; nam, ut alia taceam, Mariâ tum erat tantum puellula sex vel septem annorum ad summum: qui ergo poterat esse obstetrix?

VERS. 16. — ET PARTUS TEMPUS ADVENERIT. Hebr. est, *cum videritis super obnaim.* Obnaim vel sella parturientis, uti communiter explicat Hebræi: vel potius, quia est duale, et à rad. *bona*, id est, ædificare, descendit, significat duos ventris cardines, in quibus primò formatur embryo, sicut formatur vas testaceum in rotâ figuli, quæ inde voce affini vocatur *ophnaim*. Secundò, quibus quasi ostiis, in lucem egreditur et prodit infans: venter enim est quasi ædificium, vel domus embryonis. Sensus autem est: cum infansem videritis super obnaim, id est, super ostia uteri, hoc est, cum infansem matris utero procedentem masculum videritis. Unde Septuag. vertunt, *quando obstetricibus hebræas, et fuerint ad partendum;* et clarè Vatablus, *cum videritis eas in partu sitam parturire.* Hinc patet has obstetrices jussas esse occidere masculos Hebræorum non post partum, sed in ipso partu: occulte eos suffocando, comprimendo, strangulando, ut ita rem matres celarent; quasi ipse mortuos vel morientes enixæ fuissent: callido sanè consilio, ne matres insidias persentiscerent et cavere possent. Ita Abul. et Lipom.

Porro certum est, antequam perfectè prodierit infans, sexum in eo discerni posse, cum et multò ante signis quibusdam id conjici posse doceant medici; v. g., si in utero multe et fortes sint motiones foetus, signum est esse marem: rursum, si mater sit bene colorata; si ad dexterum latus sit infans; quia ea pars calidior est et fortior ob vicinitatem hepatis, etc. Ita Galenus et Hippocrat. lib. 5 Aphorism. 42 et 48.

En quibus gradibus crescat regis impietas: voluit primò conceptum labore et oppressione parentum impedire, nunc hic partum elidere conatur. Tertiò, v. 22, prolem jam natam submergere molitur.

Ita tropol. demon: primò, heroicum opus, ne fiat, divertere solet. Secundò, si hoc non possit, illud cum sit vitare conatur; tertio, si nec hoc valeat, ipsum postquam factum est intervertere satagit.

SI MASculus fuerit, interficite eum. Facile è socerè id facere potest obstetrix. Nam, ut ait Aristot. l. 7 Histor. animal. c. 10, *obstetrices perire reprimunt intrò in uterum pueri sanguinem: quo facto statim in-*

fans, qui jam deficiebat, recreatur, et vitæ restituitur. Eorum officium est deligare et secare umbilicum infantis, et contra ea quæ accidunt ingeniosè agere, malisque occurrere. Si quæ hæc negligat, aut sinistrè faciat, occidit infantem.

Quæres cur Pharaon jussit occidi mares Hebræorum, feminas verò reservari. Resp.: Primò quia à maribus sibi timebat, ne suos laborioso se jungerent hostibus, v. 10. Secundò, quia feminæ Hebræorum, uti imbelles, ita pulchre erant: iis ergo abuti volebat ad libidinem. Tertiò, volebat eas servari in famulatum suarum uxorum, esseque famulas Ægyptiorum. Quartò, Hebrææ præstabant in lanificio, texturâ, tincturâ, aliisque artibus, ideoque peritiles erant Ægyptiis, qui indole suâ in lucrum intenti sunt: quod Plato tribuit climati loci. Audi eum apud Cælium Rhodig. lib. 18, c. 18: *Inter Platonis placita illud observatur, ex variis cœli locis aspectibusque diversis ingenieri morum habitus, sive contemperations. Quo argumento, in Græciæ tractu in adipiscendis disciplinis videri aptiores multo quàm alibi homines. At qui in Phœnicem vergunt Ægyptumque, caventulo pecunia mirè credi sagaces, ingenio ad id præcipuè facto. In furorem verò iramque prociues quoque barbarorum inuitri bellis compertuntur. Et qui exustas à sole mundi partes incolunt, ad timiditatem degenerare et effeminatorem naturam. Dilabitur enim intus calor medicibus corporis laxatis, et quodammodo hiantibus sideris propinquè intemperantiâ. Argumento est cutis nigricans, educti forinsecus insiti coloris copid. At qui frigida et rigentia mundi loca incolunt, nimio plus audaciæ præcellunt, candidibus corporum extimis. Cæterum meridiana regiones hinc calore, hinc frigore contemperatæ, tum prudentiora pronunt ingenia sapientioraque, tum imperiis præcipuè adnata factaque; cujusmodi ferè Italia situm videri Vitruvius opinatur. Quintò, quia, ut ait Euripides: *επιτα δεικται ετι παρδεις ειναι βρανας, columnæ domorum sunt filii masculi: masculus enim familiam et gentem suam multiplicat, propagat et roborat.**

Tropolog. feminæ sunt opera carnis, mares sunt opera mentis et spiritus. Rursum feminæ sunt anime molles, infirmæ et imperfectæ: mares sunt fortes, generosi et perfecti. Per feminam, inquit S. Hieron. in c. 2 Ecclesiast., *fragilior sexus et materia significatur: nullus sanctorum, nisi perarò, feminas genuisse narratur: solusque Salphaad qui in peccatis mortuus est, omnes filias genuit. Jacob inter 12 filios, unius filiam puta Dinam, pater, ob issam periclitatur. Vide et S. Ambros. lib. de Cain et Abel c. 10. Virtus, inquit Cicero Tusc. 2, ex viro appellata est. Viri autem propria maxime est fortitudo, cujus munera duo maxima sunt, mortis dolorisque contemptus. Lactant. de Opific. Dei c. 12: *Vir, ait, dicitur ex eo, quòd major vis est in eo quam in feminâ, et hinc virtus nomen accepit.* Et S. August. Epist. ad Macedon.: *Virtus, ait, est diligere quòd diligendum est: Id diligere prudentia est: nullis inde averti molestis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nullâ superbâ, justitia est.* Hinc Ovidius: *... Tendit in ardua virtus:**

et Virgilius 6 Æneid.:

.... Facilis descensus Averni,  
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras  
Iloc opus, hic labor est: pauci quos æquus amavit  
Juppiter, aut ardens exivit ad æthera virtus,  
Dis genitâ potuerit...

Aristot. hymn. in laud. virt.: *O virtus, inquit, ardua laborioso generi humano, pulcherrima vite inventio! Tuam, ô virgo, ob venustatem etiam mori, optabilis in Græciâ habetur mors, ac labores vehementes et indefessos perperit. Talem pectori fructum immortalem inseris, auro potius; tuâ gratiâ Hercules Jove satius, Ledaque filii multa perpersi sunt, suis factis quòd possent declarantes. Et Socrates: *Statua, inquit, in suâ basi, virtutum autem studiosus in bono proposito immotus esse debet.* Et Plin. lib. 56, c. 9: *Ut ingentes, ait, obelisci magno negotio statuuntur ob pondus, sed collocati semel infixitis durant seculis; ita et virtus.* Pharaon ergo, id est, diabolus, inquit Orig., Cyril., Aug., Rupert., maxime mares, id est, heroes et perfectos, conatur evertere, per duas obstetrices, id est, per carnem et mundum, puta per voluptates carnis, et per mundanas opes et honores, quas ut superiores, debemus timere Deum, et timore Dei confingere carnem nostram. Ægyptiæ indigent obstetricum auxilio, quia imperfecti, vel spe honoris et lucri, vel metu damni et dedecoris, moventur ad opera virtutum: his non indigent Hebrææ, id est, perfecti, quia robore Spiritus S. aguntur ad omnia bona et sancta quantumvis ardua, ex puro amore Dei, studioque illi soli placendi.*

VERS. 17. — TIMEBANT DEUM. Hebræicè est, *timebant Elohim*, id est, Deum judicem, omnia eorum nuntium, punientem, premitantem; hic enim est Gebeloth, ideoque summè timeendus et colendus.

VERS. 19. — IPSE ENIM OBSTETRIGANDI HABENT SCIENTIAM. Hebr. est *תנת חיאתו*, quod vivaces, vel vivificantes significat, idque triplici sensu: primò, quasi diceret: quia ipse vivaci et sagaci sunt ingenio, et, ut Chald. vertit, *quia ipse sapientes sunt*, ideoque ex se suaque solertiâ obstetricandi habent scientiam, uti veritè noster. Secundò, quia ipse vivaces et vegete sunt, ideoque priusquam ad eas veniat obstetrix, pariunt factum, eumque vividum et validum. Ita Vatabl. Unde Targum Hierosol. vertit, *quoniam vivificant ipse antequam veniat ad eas obstetrix; orant coram Patre suo cœlesti, et exaudit eas, atque ita pariunt.* Tertiò, quia ipse sunt vivificantes, id est, obstetrices; harum enim est juvare parturientes, ut infans vitam accipiat, itaque ipse hebræâ phrasi infantem vivificare dicuntur. Rablini aliqui crasse vertunt, *ipse similes sunt bestis* (has enim significat quoque hebr. *chaito*), quæ dum pariunt, non egent obstetricibus. Nimiriùm crasse obstetrices crassis Ægyptiis crassum hoc, quasi eis comatulare, potuere daretur responsum. Sic enim crassum vulgus Judæis infensum naturaliter diceret: *Judeæ pariunt ut animalia et equæ.*

PRUUSQUE VENIAMUS AD EAS, PARIENT. Mentuntur; nam ipse conservavit mares Hebræorum, ut dicitur v. 17. Censet Rupert. hoc eorum mendacium fuisse



licitum, tum quia ex charitate processit, tum quia Deus illud remunerat, edificando eis domos. Sic Cassian. collatione 17, docet, licere mentiri vel mali vitandi, vel lucri acquirendi causa; verbi gratia, ad acquirendam humilitatem. Idem docet Beda in 1 Regum 21, et Clemens lib. 7 Strom., et Origenes in 4 cont. Cels.; qui hunc errorem hausisse videntur a schola Platonicis, cujus hæc est sententia, lib. 3 de Reipub. *Mendacio, licet re mala, utendum tamen est quandoque, tanquam elibero et medicamine; ergo et principes urbium, et si quibus aliis hoc conceditur, oportet aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro patria et civibus; ab aliis vero qui mendacio uti nesciunt, auferendum est omne mendacium.* Idem videtur sentire S. Chrysost. hom. 53 in Gen. et S. Hieron. in c. 2 ad Galat. Sed hi duo pie excusandi sunt, quod per mendacium intelligant simulationem, vel dissimulationem. Certum enim jam adeoque de fide est, omne mendacium esse peccatum et illicitum; patet id Prov. 12, 12: *Abominatio est Domino labia mendacium.* Inò S. Scripsit per mendacium, significat omnem impietatem, et pravaricationem, ut Jerem. 8, 6 et 10; Osee 7, v. 4; sicuti è contrario per veritatem, significat omne officium et debitum virtutis; ut patet Joan. 8, 44, Ephes. 4, 15, psal. 118, v. 50, 86, 160. Secundò, quia hæc sententia definita est ab Innoc. III, tit. de usuris, c. *super eo.* Ratio est, quia mendacium est intrinsecè malum; tum quia repugnat veritati aut potius veritati; tum quia in se turpe est homini fallere, et contra mentem suam loqui. Vide S. Aug. lib. de mend. et lib. contra mendac., quem constanter omnes theologi sequuntur.

Dices: Mendacium hoc processit ex charitate. Respondet: Charitas nunquam dicitur esse malefaciendum, ac consequenter necesse mentiendum, ut proxis proximo; charitas enim et veritas sorores sunt; mendacium ergo hoc non ex vera charitate, sed ex inordinato obstrictum amore, vel timore processit.

Dices secundò: Deus præmiavit hoc earum mendacium, edificando eis domos.—Respondet S. Aug. lib. contra mend. c. 19 et seq., hoc præmium eis datum esse, non quia mentite sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt; non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis; et propter illud bonum Deus etiam huic malo ignovit. Idem dico de Raab, Josue 2, v. 5. Idem docet S. Greg. lib. 18 Mor. c. 2, ubi addit, ob hoc mendacium, præmium earum aeternum conversum esse in temporale. Verum hoc parùm est probabile; peccatum enim veniale, quale erat hoc mendacium officiosum, non potest invertere charitatis actum, et meritum vite æternæ.

Errat ergo, inò blasphemat Calvin. dùm hinc docet, Deum virtutes, licet aliquà sordium mixtura inquinatas, in pretio habere, et mercede ornare, ac si puræ essent; quod ex altero suo principio, non minùs impio, deducit, nullum ita sanctum et absolutum esse opus, cui non adhaereat aliquid macula; neque enim hic actum mendacii vitiosum probavit, aut remuner-

tus est Deus, quod blasphemum est cogitare; inò et impossibile, et contra naturam rerum, ut scilicet virtus vitio inquinata sit, aut à lucidissimo illo Dei oculo judicetur habeturque virtus. Præmiavit ergo Deus non mendacium, sed alios pietatis, misericordiae, timorisque Dei actus; ut expressè ait Moses v. 20, qui à priore actu mendacii planè distincti erant: multos enim hæc obstrictores in hæc infantium tutelâ elucere actus, alios bonos, alios malos.

Instabis: Quid ergo faciendum erat his obstrictibus; quid Pharaoni urgenti respondendum?—Respond.: Aut à facie ejus fugiendum erat et latendum; aut artificio aliquo tegenda erat veritas, non neganda; aut certè, quod ait S. Augustin. c. 17 lib. contra mend., *liberrimè recusandum, et moriendum erat potius pro innocentissimâ veritate.*

VERS. 21.—EDIFICAVIT EIS DOMOS. Ita Hebr., Chald. et Latina; quin et 70, habent enim *ἐκδοξασαντες* (sic enim legendum videtur, non *ἐκδοξασαντες*). Perperam ergo olim legebatur *ἐκδοξασαντες*, id est, fecerunt, quomodo legit August. vertens, *fecerunt sibi ipsis domos*, munitas scilicet, in quibus ab incurso Ægyptiorum, quorum mandata contempserant, se tuerentur: hoc enim eas fecisse non est probabile. *Edificavit* ergo, non Pharaon, sed Deus quem timebant, eis, non Hebræis, ut vult Calvinus, sed obstrictibus quæ familiarum Deum: hoc enim exigit series orationis quæ in obstrictum mercedè describendâ occupatur, ac 70 qui vertunt *αὐτοῖς*, et Chaldeus, qui vertit *lahen*, femininè: licet enim in Hebræo sit pronomen masculinum *lahem*, tamen illud per eallagionem Hebræis familiarum, ponitur pro feminino *lahen*, ut fit et c. 15, 20 et alibi. Sic vice versâ, femininum ponitur pro masculino Ruth. 1, v. 13, et 2 Reg. 4, v. 6. Utitur autem Moses hic masculino pro feminino, quia femina et familie à viris nomen accipiunt, inquit Vatabl.

Quænam hæc domus? Hebræi, ut dixi v. 13, putant Mariam nupsisse Caleb, et accepisse domum regiam, Joababed verò accepisse domum sacerdotalem; sed insulse; Josephus enim ait Mariam nupsisse non Caleb, sed Hur, et domus regia fuit in familiâ Davidis, quæ non ex Caleb, sed aliunde descendit. Secundò, R. Kimchi: *Fecit eis domos*, id est, inquit, abscondit eas à Pharaone et in tuto collocavit. Tertio, Lyran: *Fecit eis domos*, id est, junxit eas matrimonio primariis Hebræis, et inter eos illustres dedit eis proles et familias. Verùm hoc gratis et conjectando dicitur: non enim ait Scriptura Deum fecisse eis domos Hebræorum, vel inter Hebræos, sed absolutè domos. Quarto, Rupertus et S. Hieron. in 65 Isaia, per domos mansiones in caelis accipiunt: de quibus ait Christus Joannis 14: *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* Censent ergo hi Patres has obstrictores meruisse præmium vite æternæ; idem sentit D. Thomas 2-2, q. 110, a. ult. Habuerunt enim verum actum timoris Dei, quod Deus sunt reverenti, et pro Deo se mortis periculo exposuerunt; hic autem actus timoris est supernaturalis et meritorius vite æternæ. Hoc verum est, sed huic loco impertinens: nec enim *edificavit domos*, significat in-

Script. dare præmium vite æternæ. Quintò, probabilius S. August. et Theodor. sic explicant: *Edificavit eis domos*, id est, auxit eis rem familiarem, dedit eis opes et rerum temporalium abundantiam: sic enim ait Jacob ad Laban Gen. 30: *Justum est ut aliquando providendum domui meæ; pro quo Hebræa habent: Quando faciam et ego mihi domum?*

Sextò et optimè, *edificavit eis domos*, id est, dedit eis prolem et progeniem numerosam, divitem, honoratam, insignem, longævam et diuturnam. Hæc enim quinque maximè nobilitant proles: hebr. enim filius vocatur *ben*, à rad. *bana*, id est, edificavit, quòd filius sit quasi fabrica et domus patris, quòdque filii perse perque suos filios quos generant, patris familiam instar domus ædificant. Vide dicta v. 1. Nota. Congrua fuit hæc merces, ut quo proles Hebræorum servaverant, prolibus bearentur.

Rursùm meruerunt hæc obstrictores etiam vitam æternam, uti dixi: sed in veteri Testamento Deus illud celeste præmium non solet exprimere, quia Judæis rursùm et carnalibus ferè tantum proponit premia temporalia, eaque quinque: primò, longitudinem vite; secundò, amplam et claram posteritatem; tertio, opulentiam; quartò, potentiam et dominium; quintò, victoriam inimicorum. Expressa enim regni cœlestis et vite æternæ promissio propria est novi Testamenti et Evangelii Christi, ait S. Hieron. ad Dardanum.

VERS. 22.—PRÆCIPUIT ERGO OMNI POPULO. Præceptum hoc infantididi tantum latum est in masculo Hebræorum ut patet ex præcedentibus. Unde mirum est Cajet. illud ad Ægyptios quoque extendere. Tertius hic tyrannidis, publicè jam in Hebræos grassantis, fuit gradus. Verisimile est, hoc edicte tum inhumannè exhoruisse Ægyptios, ac proinde vix usu receptum ac paulò post neglectum abolitumque fuisse. Tornielus censet illud revocatum fuisse statim post Amenophis, qui illud staterat, mortem, quam cum Eusebio consignat anno Mosis quarto.

## CAPUT II.

1. Egressus est post hæc vir de domo Levi: et accepit uxorem stirpis suæ,

2. Quæ concepit et peperit filium; et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus.

3. Cùmque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpam, et linivit eam bitumine ac pice; posuitque intus infantulum, et exposuit eum in carecto ripæ fluminis,

4. Stantè procul sorore ejus, et considerante eventum rei.

5. Ecce autem descendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine, et puella ejus gradiebatur per crepidinem alvei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papirione, misit unam è famulabus suis; et allatam

6. Aperiens, cernensque in eâ parvulum vagien-

Tropolog. Origen. hom. 1, et ex eo S. August. serm. 84 de temp.: *Anima*, inquit, *nostra aut à legitimo rege regitur, aut à tyranno vastatur.* Regem designat Pharaon, qui non noverat Joseph, quique Hebræos in operibus lateris et luti afflicxit. *Si enim, Deo adjuvante, piè vivimus, si de charitate, de misericordiâ, de patientiâ, penitentia, etc., cogitamus, licet adhuc in Ægypto, id est, in carne, simus, tamen à Christo rege gubernamur; et ipse regit nos in luto, latere, sed non consumit, nec nos curis terrenis vel nimis sollicitudinibus atterit et affligit. Si verò anima nostra exierit declinata e à Deo, inhonesta sectari, tunc subdit colla tyranno (demoni) qui alloquitur gentem suam, id est, corporis voluptates, ut mare Hebræorum occidat, finibus reservent. Vult enim diabolus in nobis sensum rationabilem ac Deum viventem extinguere, et quæ ad concupiscentiam carnis pertinent reservari. Hic ergo Pharaon cogitans ad opera sua, non justitie, sed iniquitati servire; ipso faciet laterem sibi operari et lutum: ipse te sub præpositis magistris et compulsoribus ad opera terrena et luxuriosa plagis et verberibus ager: ipse est qui te facit discurrere per seculum, maris ac terræ elementis pro cupiditate turbari: ipse est rex Ægypti, qui te forum pulsare litibus facit, et pro exiguo terræ caspulo propinquas jurgis fatigare: ipse est qui tibi persuadet luxuriâ castitatis insidiari, decipere innocentiam; in domum tuam quæ sunt fœda, foris quæ sunt crudelia, intra conscientiam quæ sunt flagitiosa committere. Si ergo tales videris esse actus tuos, scito te regi Ægypti militare, id est, non Christo, sed diaboli spiritui agi.*

Allegor. de SS. Innocentibus ab Herode cæsis, quæ, quasi pretiosa grana dùm sata sunt et mortua, seges multa surrexit Ecclesie, habet Prosper de Promiss. et Prædic. Dei p. 1, c. 33.

Denique Anagog. Rupert. : Crucis, ait, vexillo et tribulatione, fortiores fimum demone, addimur angelis, egredimur de terrâ; quia cœlum nos expectat.

## CHAPITRE II.

1. Quelque temps après naquit Moïse; sa naissance arriva de cette sorte. Un homme de la maison de Lévi, ayant épousé une femme de sa tribu,

2. Sa femme, qui avait déjà eu des enfants, conçut de nouveau en ce temps-là, et elle enfanta un fils; et voyant qu'il était extrêmement beau, elle regarda cette beauté extraordinaire, comme une marque que Dieu avait quelques grands desseins sur cet enfant; ainsi elle le cacha pendant trois mois, sans craindre l'édit du roi.

3. Mais comme elle vit qu'elle ne pouvait plus tenir la chose secrète, elle prit un panier de jonc, et l'ayant enduit de bitume et de poix, elle mit dedans le petit enfant, l'exposa parmi des roseaux sur le bord du fleuve, de peur qu'il ne fût emporté par le courant de l'eau,

4. Et fit tenir sa sœur loin de là, pour voir ce qui en arriverait.

5. En ce même temps, la fille de Pharaon vint au fleuve pour se baigner, accompagnée de ses filles qui marchaient le long du bord de l'eau. Et ayant aperçu ce panier parmi les roseaux, elle envoya une de ses filles qui le lui apporta.

6. Elle l'ouvrit, et trouvant dedans ce petit enfant qui criait, elle fut touchée de compassion, et elle dit :